

num et explent magna ex parte lacunam codicis Veronensis, imprimis §§ 72—73. Luculenter de eis post editorem Ernestus Levy in *Annalibus Savinianis* 48, 1928 p. 532—549 et in studiis Petro Bonfante dedicatis Tom. 2 p. 277—287, P. Collinet in *Revue historique de droit Sér. 4 tom. 7 p. 4 sq.*, F. de Zulueta in *Law Quarterly Review* 44, 1928, 198 sq. egerunt. Lectiones papyri significamus littera O.

Codex Cairenus, qui nunc est Societ. Ital. nr. 1182, a primo editore Vincentio Arangio-Ruiz saeculo quarto adscribitur. Continet libri tertii institutionum §§ 153. 154. 167—174 et libri quarti §§ 16—18. Expletur eo lacuna codicis Veronensis, quae hiat inter paragraphos IV 17 et 17^a, propterea quod folium, quod sequebatur olim folium 194, deperditum est. Tandem igitur comperimus, quid Gaius de legis actionibus per iudicis postulationem et per conditionem docuerit, et multae controversiae dubitationesque sopitae sunt. Praeterea in codice Caireno post III 154 sequitur tractatus de societate propria civium Romanorum sive consortio, qui in codice Veronensi deest. Lectiones codicis Caireni mutilae et incertae ab editore acutissime restitutae sunt. Cf. Emilio Albertario, *Per il XIV centenario delle Pandette e del Codice di Giustiniano*, Studi pubblicati dalla Facoltà di Giurisprudenza della R. Università di Pavia, 1934, p. 507 sq. Ernestus Levy, *Ann. Savign.* 54, 258 sq. Collinet, *Revue histor.* 1934, 96 sq. Frezza, *Rivista di Filologia* 1934, 27 sq. Arangio-Ruiz merito coniecit novum codicem, quamquam eius fragmenta Antinoupoli reperta esse venditor contendit, Alexandriae scriptum esse et in bibliotheca professoris cuiusdam, qui ibi iuris prudentiam docebat, fuisse. Sed sive Antinoupoli sive Alexandria ortus est codex, nos eum significamus littera F, quia nunc Florentiae est.

Sunt qui putent textum Institutionum codice Veronensi traditum permultis glossis depravatum esse, quas detegere et removere studuerunt; eminent inter hos Beseler, Albertario, Solazzi (*Glosse a Gaio*, Studi in onore di Salvatore Riccobono I, 1931, 73 sq.; seconda puntata, *Per il XIV*